



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1707

Q. 35. Quandonam committatur simonia, si pretium detur pro omissione aliqua.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42515

est intrinsecè invendibilis , unde quod pro ea admittitur , non debet esse illius pretium , sed tantùm velut stipendium pro sustentatione : aliud est de præsentia testium , quorum testimonium solùm requiritur ad probandum contractum Matrimonii, *Suar. c. 19. n. 11. Pirh. n. 47.*

Circa hætenus dicta aliâque similia etiam attendenda est consuetudo , per quam sæpe dari potest aliquid, non ut pretium rei spiritualis, sed alio titulo, uti dicitur à n. 191.

¹⁷⁵ Q 35. *Quandonam committatur Simonia, si detur pretium pro omissione aliqua.* R. §. 1. Si omisio alicujus actûs procedat à potestate Ecclesiastica, & fiat ob pretium, erit Simonia, uti si auditâ Confessione omittas absolvere , si promittas aliquem non absolvere à censura, si pacificaris, ut non eligas, non des votum, &c. ita *Suar. c. 22. à n. 9. Laym. c. ult. §. 4. n. 43. Castrop. T. 17. d. 3. P. 12. n. 17. Pirh. L. 5. t. 3. n. 54.* Ratio est, quia non solùm absolvere, approbare, eligere &c., sed etiam ligatum detinere vel rejicere, est exercitium spiritualis Jurisdictionis Ecclesiasticæ, adeoque pretio invendibile, suam enim æstimabilitatem habet, quatenus ab illa Jurisdictione habet moralem efficaciam, ergo si hæc & similia fiant exercendo suam Jurisdictionem aut curam spiritualem, idque pro pretio, erit Simonia.

¹⁷⁶ §. 2. Simonia est, pacisci, non commendare seipsum vel alium idoneum, si intendatur promotio tertiæ personæ ad aliquod v. g. beneficium Ecclesiasticum, ita *Suar. n. 18. Less. L. 2. c. 35. n. 109.* Ratio est, quia Jus pro se vel alio sollicitandi, est spirituale, ergo qui ab altero emit cessionem illius, re ipsa dat pretium pro Jure illo alteri attribuendo, ergo pro spirituali: deinde directè parat alteri viam ad beneficium per pecuniam, quod est simoniacum.

Idem

Idem est, si pactio fiat, ut quis non contradicat, ut desistat à præensione justa, ut se non sistat ad concursum &c., uti dictum est n. 142.

§. 3. Si omissio non sit exercitium Jurisdictionis ¹⁷⁷ spiritualis, néque intuitu rei spiritualis pretio æstimetur, quamvis sit omissio actus spiritualis etiam ex officio debiti, non erit Simonia pro illa dare vel accipere pretium; poterit tamen esse injustitia vel turpe lucrum, sic si Parochus pecuniam accipiat, ut non audiat Confessionem alicujus, talis omissio non est exercitium Jurisdictionis, sed tantum est voluntarius non usus illius, ita *Suar.* n. 11. *Lesf.* n. 64. & 65. *Laym.* n. 43. *Pirh.* n. 56. Si tamen intuitu rei spiritualis pretio æstimaretur, *Suar.* n. 18. putat fore Simoniam, uti si quis omittat audire Missam pro pretio, quod æstimat æquivalere bono spirituali, quod haberet auditâ Missâ.

§. 4. Non est Simonia dare pretium, ut alter ¹⁷⁸ abstineat ab actu spirituali injusto vel sacrilego hinc secundum dicta n. 146., non est Simonia dare pecuniam volentibus ad Parochiam eligere indignum vel minus dignum, ut sic permoveantur ad electionem dignioris; neque accipientes tale pretium committunt simoniam, sed tantum injustitiam vel turpe lucrum, ita cum aliis *Suar.* num. 8.

Q. 36. An sit Simonia docere Theologiam pro pretio. ¹⁷⁹

R. §. 1. Theologia est quintuplex, 1. *Positiva*, quæ in sensu Scripturæ explicando occupatur, ideóque dicitur positiva, quia ponit fundamenta ad locos argumentationum Theologicarum; ejusque functio est interpretari Scripturas. 2. *Ascetica* sive *mystica*, quæ doctrinas ad perfectionem virtutum consequendam necessarias tradit,
&